



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

CV. Leo IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**



Ecclesiasticam & publicam curam vsurpauit. ad hoc etiam maximis muneribus primatum & dominium Romæ ab Imperatore sibi acquisiuit; demum verò Albanensem Episcopatum vsurpare non metuit & omnia infra & extra Romam sua auaritia & vanitate vastauit. Vigebat etiam istius Pontificis, & fratris eius tempore Simoniaca hæresis in tantum, vt etiam venderetur Episcopatus, & qui plus dabat, Episcopatum accipiebat. Nec erat aliquis Episcoporum, aut quisquam virorum Ecclesiasticorum, qui zelo Dei ductus cum Imperatore aut rege ageret, vt hoc nefas prohiberetur. Et quia nemo erat Christianorum, per quem hoc malum corrigeretur, misit diuina potentia flagellum paganorum ad vlciscenda peccata Christianorum. Nam superuenientes Sarraceni innumeros hominum interfecerunt, castella & vrbes multas captas accepta præda igni dederunt: demum regem expugnantes fugauerunt, & multis captis & interfectis, maxima hominũ, & omniũ rerũ præda onusti reuerfi sunt. Hic ordinauit Episcopos 25. presbyteros 8. diaconos 3.

C V.

L E O I V.

A. DCCC.  
XLVII.

**L**eo, natione Romanus, sedit annos 8. menses 6. dies 3. Hunc Romani omnes vnanimiter elegerunt, & dum in eius electione nimis gauderent, cœperunt iterum non mediocriter contristari, eo quod sine imperiali auctoritate futurum non audebant consecrare Pontificem, & periculum Romanæ vrbs maximè metuebant, ne iterum, vt olim, ab aliis hostibus fieret obsessa. Hoc timore futuri casus perterriti, eum continuo Pontificem, non expectata Principis sententia consecrauerunt. Hic secundum antiquam cōsuetudinem canonica auctoritate cōstituit, vt dum sacra Missarum sollemnia in Ecclesia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi illi, qui ad hanc ministrationem sacri officii constituti videntur. Huius temporibus Romæ in quibusdam cauernis basiliscus ortus est, qui flatu suo, ac visione omnes accedentes necabat, & morti mandabat, quem prædictus Pontifex ad ipsum foramen veniens sua oratione fugauit, & nullum postea ex ipso signum læsionis apparuit. Hic octauam assumptionis sanctæ Dei genetricis Mariæ deuotissimè primum celebravit, & semper celebrandam esse firma institutione mandauit.

Hic consilio & auxilio **LOTHARII** Imperatoris urbem, quã

O

circa



*Syn. Romæ.*

circa Ecclesiam B. PETRI inceperat, pleniter consummauit, & cū Letania eam circundans, & aqua exorcizata aspergens sanctificauit, & suo postmodū nomine Leonianam eam vocauit. Hic videns multa suo in tempore contra DEVM & salutem animarū impudēter fieri, consilio Imperatorum LOTHARII & LODEWICI Romæ Synodum habuit cum 67. Episcopis, cū quibus 42. capitula Christianorū salutis necessaria edidit, & firmiter firmanda esse præcepit.

*1. Tim. 3.*

IN primo. n. capitulo instituit, vt Episcopus iuxta Pauli discretionem & admonitionem irreprehensibilis & boni operis desiderabilis consecratur.

*Act. 8.*

*Secundo.* quisque sacerdos caueat, ne præmiis consecrationē adipiscatur, ne exemplo Simonis in laqueum incidat diaboli.

*Tertio.* vt bono opere Episcopus existat, & bene speculetur, qualiter populum verbo prædicationis instruere debeat.

*Quarto.* vt si Episcopus inueniatur inductus à Metropolitano proprio admoneatur, & presbyteri, & diaconi, & subdiaconi à suo Episcopo, vt doceri possint, admoneantur: & interim tales presbyteri & clerici celebrare diuina mysteria & officia suspendantur, vt docti valeant ad debitum ministerium peruenire.

*Quinto* confirmauit, q. Cælestinus & Magnus Leo de Episcopis instituerāt, videlicet, vt nō cōueniat Episcopū consecrari, nisi à clericis & populo fuerit postulatus: quia nulla ratio finit, vt aliter cōsecrati inter Episcopos habeantur. Et cū in eadem Ecclesia dignus non inuenitur, tunc primū alter de altera Ecclesia eligatur, & quāuis necessitas eueniat, tamen inuidiosè nullo modo consecratur.

*Sexto* præcepit, ne iuxta Sardicensem Synodum ultra trium hebdomadarū spacium Episcopi à propriis Ecclesiis morentur, nisi forte per iussionē Metropolitanī vel Principis ex necessitate contingat, quia absentia Episcopi plerunq; fit calamitas plebis.

*Septimo* necessariō seruari præcepit, vt iuxta Ecclesiā claustra cōstituantur, in quib. clerici disciplinis Ecclesiasticis imbuantur, & omnib. vnū sit refectoriū ac dormitoriū, siue cæterę officinæ ad vsus clericorū necessaria. Ministri verò post Episcopū tales eligantur, quorū vita & doctrina illos potius exornent, quam dehonestent.

*Octauo,* vt Episcopi diligenter curam habeant in baptismalibus plebibus, & cum necessitas in eis presbyteros ordinandi occurrerit, vt reuerentius obseruentur, non sine consensu ibidem habitantium fieri conuenit.

*Nono,* vt in congregandis clericis non plures admittantur, quā facultas rerum eis canonicè attributa sufficere possit.

*Decimo,*



*Decimo*, vt sacerdotes cōstitui non oporteat, nisi Ecclesiis, aut speciali monasterio deputētur, ne necessitas in secularib. domib. illis habitādi occurrat, aliqñ à ppriis Episcopis, aut in Episcopio, aut in monasteriis causa habitād & cōuersandi, p exercendo officio constituantur, vbi mulieres nullā habeant copiam conuersandi.

*Vndecimo*, vt sacerdotes diuina eloquia sedulò perseruentur, & populum admoneant, & ludos aliquos ante se fieri non delectentur. Transgressores quippe admonitione Episcopi vltius agere desinant; sin autem, canonicè iudicentur.

*Dusdecimo*, vt sacerdotes, q ad debita & opportuna officia in Ecclesiis indifferenter adesse debēt sc̄nore aliquo, aut venatione, vel aliqua aucupatione rusticorū ministerio omninò nō occupentur, nec sine ornatu sacerdotali extra domos suas appareāt, & ea solū, quę Patrū constituta videntur, obseruēt; cōtrarii deniq; inuēti, aut deinceps desinant, aut canonicę disciplinę subiaceant.

*Tertiodecimo*, vt sacerdotes in secularib. negotiis pro testimonio, aut conficiendis instrumentis non rogentur, quia eos in talib. rebus esse nō conuenit. Si. n. euentu causę aliqd viderint aut audierint, vbi nullę seculariū idoneę psonę inueniantur, ne veritas occultetur, & malus vt bon⁹ existimetur, in puidencia sit Episcopi, vt corā se & cōpetētib. iudicib. hāc aliter veritatē honorificè attollāt.

*Quartodecimo*, vt sacerdos, aut quis alius in Ecclesiastico ordine prouectus, si in eo scelere inueniatur, quo abiiciendus sit, depositus prouidentia Episcopi bene prouiso loco constituatur, vbi peccata lugeat, & vltius non committat.

*Quintodecimo*, vt si Episcopus, presbyter, diaconus, vel subdiaconus de quacunq; femina crimine fornicationis suspicatus, post *Dist. 81. c. si quispiam.* primam & secundam & tertiam admonitionem Metropolitanī, vel alterius Episcopi, aut eius, cui subiacere videtur, inueniatur fabulari cum ea, aliquoūe modo conuersari, canonicè iudicetur; quia cui propriam habere vxorem non permittitur, ab omni fāmīna debet se abstinere.

*Sextodecimo*, vt nulli Episcoporū liceat res immobiles de subiectis plebibus aliisq; piis tollere locis, ne in tali factō pauperes inueniantur. contra agens canonica auctoritate coarctandus existat.

*Septimodecimo*, vt presbyteri omniū ad se currentiū in quibuscunq; sacris locis oblationes ad Missarū sollempnia recipiāt, quia cū DEI & hominum mediatores existant, in exercendis votis & relaxandis peccatis largissimam debent orationem peragere.

*Octauodecimo*, vt Episcopus sibi subiecto sacerdoti, vel alio clerico



nisi ab alio postulatus, dimissorias non faciat, & ne falsæ vt veræ credantur, & veræ vt falsæ suspicentur, vniuersalis Pontificis, vel imperiali, vel Metropolitanæ bulla eas roborari oportet.

*Nonodecimo*, vt Episcopi, vniuersiq; sacerdotes, quia ad solam DEI laudem, bonorūq; operum actionem constituuntur, debeant tam pro Ecclesiasticis, quàm pro propriis suis actionibus excepto publico crimine habere aduocatum non malæ famæ suspectum, sed bonæ opinionis, & laudabilis artis inuentum, ne dum humana lucra intendunt, æterna præmia perdant.

*Vigesimo*, vt si quispiam sacerdotum inuentus fuerit, qui aduocatum in iudicio proferre non valeat, coram plebe propria suus Episcopus ipsum sacerdotem discutiatur, si bonæ, an malæ conuersationis existat, aut cuius rei causa debite aduocatum habere non possit. malè verò inuentus pro qualitate culpæ secundum canonū normam emendari curetur.

*Vigesimo primo*, vt monasterium, vel oratorium canonicè constructum à dominio constructoris eo inuito non auferatur, liceatq; illi idem presbytero, cui voluerit pro sacro officio illius diœceseos, & bonæ auctoritatis dimissorie cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare, ita vt ad placitam & iustam reuerentiam illius Episcopi obedienter sacerdos recurrat, alioquin canonicis vltionibus subiaceat.

*Vigesimo secundo* sanciuit, vt si quispiam comprobatus inuasor, dicat pro parte Ecclesiæ se egisse de priuata sibi re pertinente, ab ipso, suoq; hærede persoluatur inuasio. Sacerdos denique in tali culpa pauper inuentus à proprio canonicè iudicetur Episcopo, Episcopus à Metropolitanò, vt non Ecclesia sibi commissæ damnum sustineat de inuasione.

*Vigesimo tertio*, de monasteriis monachorum siue sanctimonialium, & de omnibus aliis pro diuersis necessitatibus ad eleemosynam constitutis præcepit, vt per Episcoporum sollicitudinem, in quorum diœcesi hæc existunt, ordinentur ad easdem utilitates, quibus constituta sunt.

*Vigesimo quarto*, disposuit de Ecclesiis, quæ in diuersis regionibus sacerdotibus, & solitudine destitutæ nullo debito officio resonant, vt Episcopus, si proprio iuri Ecclesiæ sunt subiectæ ibidem sine intermissione presbyterum constituat; vt si in secularium hominum sunt iure constitutæ ab Episcopo admoneantur, & si admoniti presbyteros infra trium mensium spacium ibidem neglexerint constituere absq; neglectu Principis vrgeat Episcopus, vt eius sententia emendetur.

*Vige-*



*Vigesimo quinto*, vt Ecclesię quælibet destructa proprio stipendio restaurentur: non sufficiente verò necessario à populo plebis auxilientur.

*Vigesimo sexto*, vt nulli Episcoporum liceat à subiecto sacerdote vel alio quolibet clerico ex piis locis donationes vltra statuta Patrum exigere, aut \* superimposita in angariis inferre. 16. q. 1. c. nulli  
\* superposita

*Vigesimo septimo*, vt Abbates tales constituantur, qui sui vocabuli ministeriū DEO possint indubitanter supplere, ita docti, vt quæcunque fratrum negligentia acciderint, omninò cognoscere possint, & emendare.

*Vigesimo octauo*, vt Episcopus in sua diœcesi diligenter perscrutetur illos, qui solo habitu monachi existunt, & ad proprium monasterium redire eos cogat, aut prospectu congruo in aliud mittat, vt regularem vitam seruent.

*Vigesimo nono*, vt fæminæ, quæ habitum religiosum, aut velamen obtentu religionis susceperunt, deinceps viro sociari non permittantur; præuaricatae autem ad pœnitentiam coërceantur.

*Trigesimo*, vt die Dominico nullus audeat mercationes, nisi in cibariis rebus, aut quælibet rustica opera facere, alioquin, vt transgressor, ad pœnitentiam redigatur.

*Trigesimo primo*, vt Dominico die personam suspectam & reatu infamem, aut optima satisfactione soluant, aut in custodiis constituent, vt licitis diebus iudicetur. nam legibus infirmatur iudicium Dominico die depromptum.

*Trigesimo secundo*, vt nulli laicorum liceat in eo loco, vbi presbyteri, & cæteri clerici existunt, quod presbyterium nuncupatur, quando Missa celebratur, consistere, quia sicuti in Ecclesia singula loca videntur exposita, ita virorum pars & mulierum partibus suis debet esse contenta. De cons. d. i.  
c. sacerdotum

*Trigesimo tertio* statuit, vt sicut hi, qui monasteria elegerunt à monasteriis egredi nō permittuntur, ita hi, qui inuiti sine iustæ offensionis crimine monasteriis sunt intromissi, nisi volentes non teneantur, quia quod non petunt, non obseruant.

*Trigesimo quarto*, vt magistri & Doctores, in singulis locis, in quibus necessitas occurrit, constituantur, qui liberales artes assidue doceant: & si tales non inueniuntur, tamen diuinæ scripturę magistri, & institutores Ecclesiastici officii nullatenus desint.

*Trigesimo quinto*, vt sacerdotes admoneant viros ac mulieres, qui festis diebus ad Ecclesiam concurrunt, ne ballando & turpia verba decantando choros teneant, ac ducant similitudinem paganorum



norum peragendo, quia tales, si cum minoribus peccatis ad Ecclesiam veniunt, cum maioribus reuertuntur. Si verò non cessant admoniti, à communione modis omnibus suspendantur.

*Trigesimo sexto*, vt nulli liceat, excepta causa fornicationis, vxorem relinquere, & aliam sibi copulare: alioquin conuenit transgressorem sociari priori coniugio. Si autem vir & vxor solummodo pro religiosa vita diuortire inter se consenserint, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, vt ab eo singulariter prouiso constituentur loco: nam vxore nolente, aut altero eorum etiam pro tali re matrimonium non soluatur.

*Trigesimo septimo*, vt nulli liceat vno tempore habere vxorem & concubinam, quia cum domi non sit lucrum, animæ fit detrimentum: alioquin Ecclesiastica communione videatur indignus: & si perseuerauerit, ab Ecclesia penitus amputetur.

*Trigesimo octauo*, vt de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, nullus audeat in coniugium copulare: si quis verò fecerit & perseuerauerit, sciat se vinculis anathematis innodatum.

*Trigesimo nono*, vt nullus absolutè presbyter ordinetur, & vt iuxta facultatē rerū Ecclesiæ, & oblatiões, vel reditū clerici ordinetur.

*Quadragesimo*, vt presbyteri urbani & suburbani, & rurales omnes indifferenter ad Concilium Episcopi veniant, aut canonum correptionibus subiaceant.

*Quadragesimo primo*, vt laicus qui presbyterum sine consensu Episcopi proprii sua potestate Ecclesiæ cuiusq; instituerit, à fidelium communione separetur. Presbyteri, si tertio ab Episcopo, vel Legato eius de alterius Ecclesia recedere admoniti obedire noluerint, proprii officii gradum amittant.

*VLTIMO* verò capitulo immutabiliter præcepit, ne vllus Abbas, aut quilibet alius præsumat presbyteros in Ecclesiis statuere, nisi qui & sacerdotis gradus licitè dare pōt, & canonicè de neglectis presbyteros increpare: sed ab his venerabiliter sacerdotes ad diuini ministerium officii expetantur Episcopis, quibus singulariter & dioceses pertinent, & qui canonicè debent ipsis Ecclesiis præuidere & præuisas ordinare.

*PRÆDICTVS* pontifex in prædicta Synodo Anastasium presbyterum in aliena diocesi morantem, & sæpenuerò vocatū, demumq; excommunicatū, & tamen ad propriam parochiam redire nolentem, deposuit, & penitus sacerdotali honore priuauit. Itē in eadem Synodo monuit, & Apostolica auctoritate præcepit, vt vnusquisq; Episcopus per dioceses & parochias suas, per se & per sacerdo-



sacerdotes suos subiectum sibi populū moneat, vt primitias & decimas incunctanter persoluant: has autem dare nolentes, quousq; suppleant, à cibo & potu suspendant. Quod si nec pro hac suspensione supplere curauerint, sancta communione priuentur. ITEM in eadem irrefragabiliter affirmando instituit, vt nullus Episcoporum vel sacerdotum rem sui tituli vsurpare, aut alienare præsumat. Qui autem hoc fecerit, canonicam sine dubio subeat ultionem. Hic ordinauit Episcopos 43. presbyteros verò 19. diaconos 7. Obdormiuit autem in Domino 16. Kalend. Augusti.

## CVI.

A. DCCCLV.

## BENEDICTVS III.

**B**ENEDICTVS, natione Romanus, ex patre Petro, sedit annos 2. menses 6. dies 10. Fuit autem temporibus LODEVICI filii LOTHARII filii LODVVICI Imperatoris. Postquam clerus & populus hunc & renitentem elegerunt & iuxta morem in Patriarchium deduxerunt, decretum componentes, & manibus propriis roborantes, vt prisca consuetudo poscebat, inuictissimis Lothario ac Loduvvico Augustis destinauerunt. Sed legati, qui decretum deferebant in itinere corrupti in Anastasium presbyterum à Leone depositum, voluntate illum præficiendi, declinauerunt, & hoc apud Principes prædictos versutia calliditatis effecerunt, quatenus eorum voluntati consentientes Romam legatos, qui Anastasium inthronizarent, dirigerent. Qui cum illuc venerunt prædictum depositum violenter in patriarchium introduxerunt, & Benedictum eiectum, & Pontificali veste denudatum in arcta custodia seruari iusserunt. Sed demum ex communi voto & sententia triduano ieiunio cum oratione & vigiliis celebrato ab omnibus, & etiam ab his, qui prius excommunicato presbytero fauerant vnanimitè nutu diuino in Benedictum conuenerunt, & ita præsenria & consensu imperialium legatorū est in Pontificem consecratus.

Hic Ratoldo Episcopo de patricida ita scripsit. *Volumus vt per 12. annos sub onere pœnitentiæ constituatur, ita vt omnibus diebus ieiunium celebret vsq; ad vespèrum, & absq; carne, vinoq; ac pisce cibum sumat, exceptis diebus festis ac Dominicis, & à Pascha vsq; Pentecosten, Per quinquennium verò tempus in Ecclesiam intrare non præsumat, neq; communicet, ante fores Ecclesie tamē perseueret, dum sacra celebrantur officia. Cum autem quinq; annorū fuerint adimpleta curricula, ingrediatur Ecclesiam, & inter audientes stet cū omni*